



## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè  
proponuntur

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Stimulus 3. Dei nostri super omnia Boni dilectio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

Nunc itaque si Dignus est Deus, imò quia Dignus, & omni dignitate dignior, neque unquam satis dignè significabilis est Deus, nemo fatigetur, nemo deficiat, nemo tepeſcat in ascensu & progressu de virtute in virtutem, in exaltatione Dei per quotidianam perfectionem, in glorificatione Dignitatis ejus per excellentiam Sanctitatis & justitiae coram ipſo, propter ipsum. O homo, dicit tibi Deus tuus; Labora & contendere ad profectum tuum, oblecta me progressibus tuis, cupio saginari fervore & ardore devotionis in obsequiis meis. Dignus enim sum, ut tales te servum habeam, consecratum Majestati, devotumque Dignitati meæ. Sufficitne tibi mihi homo, ista à Deo tuo allegata causa? an potes requirere aliam? an invenis aliquid majus digniusvè Dignitate Dei? Itaque sufficiat ad Seraphicum, ad Marianum, ad Theandricum fervorem, unicum hoc: Dignus est Deus, quem vel per unicum instans exaltare possim: amplior est omni reliqua dignitate creatura, ad quam creatura elevari possit, si absque dignificatione Dei elevetur, aut elevari possit. Denique sufficiat illud ad stimulum; *Glorificantes Eccl. 43. 32.*  
*Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim abhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude &c.*

### Stimulus III.

*Dei nostri super omnia Boni dilectio.*

**S**I diligitis me, mandata mea servate. *Qui enim Joan. 14. 15.*  
*Habet mandata mea, & servat ea, ille est qui dili-* *Ibid. v. 46.*  
*git me. Argumentatio Æternæ Sapientiæ est.*  
*Non denuntiat indignationem suam, neque sup-*  
*plicia*

plicia: non ostentat promissiones & mercedes suas, satis est illi ad evincendum propositum allegasse dilectionem sui. *Si diligitis me, inquit, mandata mea servate.* Probatio dilectionis, exhibitio est operis, ille enim solus veraciter Deum diligit, qui exercet opere, quod Deo placere novit, alias

*Lec. 6. 46.*

frustra quis ingeminat *Domine Domine*, si non facit ea omnia quæ vult Dominus. Nervosa est ergo

*2. Jo. 3. 18.*

argumentatio Christi. *Si diligitis me, mandata mea servate, facite quæ dico, diligite non verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Sed quærerit quis, quānam sint hæc mandata Dei? At notum satis est, quod præcepta Domini & multa sunt, & varia sunt. Multa in diversitate operationis, unum in

*Greg. Hom.* radice dilectionis. Sicut enim multi arboris rami, 27. in *Evan.* ex una radice procedunt; sic multæ virtutes vir-

tutumque operationes, ex una charitate descendunt. Et quia charitas est diligere Deum propter Deum: & proximum sicut seipsum, nihilominus in Deo & propter Deum; ideo cum Christo dicit: *Si diligitis me, mandata meas servate, hoc utique dicit.* *Si diligitis me, hanc ipsam mei dilectionem, operatione dilectionis, exercitatione charitatis probare.* Nihil enim habet viriditatis ramus cu-

juscunque boni operis, si non manat & dependet à radice charitatis, propter quod & Apostolus

*1. Cor. 16. 14.*

Christi hortatur, *Omnia vestra in charitate siant,* quasi dicat: Omnes rami, à radice viorem su-

mant. Sed etiam charitatis præstantissimum opus

est, *Magna facere & nunquam deficere, propter*

*1. Cor. 13. 13.*

hoc enim *major est virtutum omnium charitas:* quia nunquam excidit charitas. Evacuabitur fides,

*1. Cor. 13. 8.*

evacuabitur & spes, Charitas nunquam excidit;

nunquam deficit. Imò verò ubi aliæ virtutes

operando deficiunt, & veluti officio suo functæ;

ante

ante januam cæli subsistunt; ubi charitas præcipue fungitur, præcipue regnat, præcipue consummatur, & coronatur. Dicentis ergo Domini. *Si diligitis me, mandata mea servate,* sensus & voluntas hæc est: Per hoc mihi dilectionis vestræ perfectionem monstrabitis: si nunquam à charitatis mæ operationibus cessabitis, si semper in studiis charitatis perinanebitis, si semper in charitatis exercitiis & proficietis & perseverabitis. Si-  
cut enim ignis in nulla lignorum congerie dicit, sufficit: ita charitas neque inter hujus sæculi irruentia flumina, neque inter futuræ beatitudinis maria excidit.

### Stimulus IV.

*Dei nostri erga nos dilectio.*

**Q**uanta sit Dei nostri erga nos dilectio: pri-  
mùm omnium nobis id prodat & probet  
canticum dilectionis: ait ergo. *Fortis est ut mors* *Cant. 8. 6.*  
*dilectio, dura sicut infernus emulatio. Lampades*  
*eius, lampades ignis atque flamarum. Aquæ multæ*  
*non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina*  
*obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam*  
*domus sua pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Exposuit hæc omnia Divinæ super nos dilectionis encomia Christus Deus noster: magnificis exemplis ea illustrans atque confirmans: quale est unum illud. *Sicut Moyses exaltavit serpentem* *Joan. 3. 14.*  
*in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut*  
*omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vi-*  
*tam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut*  
*Filiū suum unigenitum daret, ut omnis qui credit*  
*in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non*  
*enim Deus misit Filium suum in mundum, ut judicet*  
*mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ecce*  
*K.P. Druzib. Op. VII. P quo-*